DE MODO COERCENDI POENITENTES SOLLICITANTES IN ACTV CONFESSIONIS SACRAMENTALIS.

In quo oſtenditur, qua tandem ratione in huiuſmodi crimen ab Eccleſia animaduerti poſsit.

AD SANCTISS. D. N.

GREGORIVM XV.

PONT. MAX.

ET ILLVSTRISSIMOS, AC REVERENDISSIMOS

S. R. E. CARDINALES

In vniuerſa Republica Chriſtiana contra hæreticam prauitatem Inquiſitores generales à Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatos,

OPVSCVLVM

In duo Quæſita diſtributum.

Primum eſt, *De lege ferenda contra pœnitentes ſollicitantes ad turpia in ſacramentali Confeſsione.*

Secundum, *De poſsibilitate denunciandi Inquiſitoribus pœnitentes ſollicitantes ad turpia Confeſſarios in actu Confeſsionis.*



QVAESITVM I.

De lege ferenda contra pœnitentes ſollicitantes ad turpia in ſacramentali Confeſsione.

Quæritur, *Vtrum expediat Reipublicæ Chriſtianæ ferre legem contra pœnitentes ſollicitantes confeſſarios ad turpia in actu confeſsionis, vti contra ſuſpectos de hæreſi; quemadmodum iuſtè lata fuit à fel. record. Pio Quarto contra confeſſarios, carnaliter pœnitentes allicientes.*



PArs affirmatiua ſuadetur Primò. Actus ſollicitationis ſacramentalis, quo pœnitens ad turpia allicit confeſſarium, ex ſui natura eſt tantæ malitiæ, vt non minorem, aut minus grauem iuſtæ legis aduerſus ſuos authores ferendæ cauſam præbeat, quàm præbuerint olim actus confeſſarij, pœnitentes in actuali confeſſione carnaliter ſollicitantis. Ergo ſicut fuit valde expediens, ac iuſtum, ferre legem aduerſus confeſſarios ſollicitantes, tamquam contra ſuſpectos de hæreſi, ob malitiam, & deformitatem actus, vt patet ex bulla fel. record. Pij Quarti; ita valde expediens, iuſtumque eſſet, ſancire legem contra pœnitentes ſollicitantes, vti contra ſuſpectos de hæreſi. Antecedens eſt notum: Nam vterque actus ſollicitationis, quantum eſt ex natura ſua, infert ſuſpicionem de hæreſi in ſollicitante: quia in vtroque ſollicitans videtur male ſentire de ſacramento Pœnitentiæ; nimirum ipſum non fuiſſe à Chriſto Domino in remedium peccatorum, & medelam animæ inſtitutum. Ergo actus ſollicitationis ſacramentalis, quo pœnitens ad turpia allicit confeſſarium, ex natura ſua eſt tantæ malitiæ, & deformitatis, vt iuſtè poſſit ferri lex contra ipſos pœnitentes, vti contra ſuſpectos de hæreſi. Prima conſequentia patet à paritate rationis: non enim videtur maior ratio, quare fuerit ex-

pediens ferre legem contra confessarios, quàm contra pœnitentes sollicitantes.

Secundò præterea. Sollicitatio sacramentalis, qua pœnitens allicit confessarium ad turpia, est sacramento Pœnitentiæ quammaximè iniuriosa, non minus, ac sit sollicitatio confessarij: ergo si ad euitandum tam immane sacrilegium iustè lata fuit lex contra confessarios, cur non erit maxime expediens id ipsum sancire contra pœnitentes, carnaliter confessarios sollicitantes?

Quòd si dicas, non esse eandem rationem de confessario sollicitante, ac de pœnitente: cùm confessarius sit minister Sacramenti, non verò pœnitens; & propterea expediens fuisse legem sancire contra confessarios sollicitantes, qui, cùm sint ministri sacramenti Pœnitentiæ, in tantam prorumpunt iniquitatem, vt illo abuti non vereantur: quod de pœnitentibus dici non potest. Atque adeò congruum quidem fuit contra confessarios sollicitantes legem condere; non autem expedit eam contra pœnitentes ferre.

Tertiò præterea, & arguitur contra huiusmodi responsionem. Nam sicut confessarius, quia est minister sacramenti Pœnitentiæ, eiusdem sacramenti formam absolutionis apponit; ita pœnitens sacramentum recipit, & apponit materiam proximam, & remotam eiusdem sacramenti. Ergo si fuit valde expediens, talem legem ferre contra confessarios, eo quòd sunt ministri sacramenti Pœnitentiæ: ita erit valde expediens illam ferre contra pœnitentes, quia ipsi apponunt materiam necessariam, sine qua nequit confici sacramentum: quam si non apponant, non minus iniuriam faciunt sacramento, quàm faciat confessarius, qui est eius minister.

Quartò præterea. Ratio quare fel. record. Pius Quartus in sua constitutione motus fuerit ad declarandos confessarios sollicitantes carnaliter pœnitentes in confessione sacramentali, suspectos de de hæresi, est, quia maximam iniuriam sacramento Pœnitentiæ irrogant: dicitur enim ibi: *Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide catholica rectè senserint, sacramentis ab Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant.* Sed pœnitentes sollici-

tantes

tantes confessarios, maximam iniuriam faciunt sacramento Pœnitentiæ, dum ad illud accedunt, aut confitentur, animo peruertendi, & sollicitandi confessarium ad libidinem: ergo maximè expediret talem legem ferre contra pœnitentes, vti contra suspectos de hæresi.

Quintò præterea. Pœnitens sollicitans confessarium ad turpia, maiorem iniuriam facit sacramento Pœnitentiæ, quàm faciat confessarius sollicitans carnaliter pœnitentem: ergo si ob hanc rationem fuit expediens ferre legem contra confessarium sollicitantem carnaliter pœnitentem, etiam ob eandem rationem erit expediens illam ferre contra pœnitentes sollicitantes. Consequentia tenet. Antecedens vero probatur. Dum confessarius sollicitat pœnitentem verè confitentem, & non præbentem sollicitationi consensum, potest confessarius eum absoluere, & de facto absoluit, & ita perficitur sacramentum; etsi confessarius peccet mortaliter, sacramentum administrans in statu peccati mortalis. Cæterùm, quando pœnitens sollicitat confessarium non præbentem consensum, quia est male dispositus, non potest absolui, & ita nequit perfici sacramentum. Ergo ratione sollicitationis sacramentalis, maiorē iniuriam facit sacramēto Pœnitentiæ, pœnitens sollicitans confessarium, quàm confessarius sollicitans pœnitentē.

Ad euidentiam huius rei præmittendum est, quòd in præsenti non vertitur in controuersiam, An actus sollicitationis, quo pœnitens allicit confessarium ad turpia, dum sua delicta confitetur, sit tantæ malitiæ, & deformitatis, vt possit iustè ferri lex contra pœnitentes sollicitantes, vti contra suspectos de hæresi, quemadmodum lata fuit lex contra confessarios allicientes pœnitentes ad turpia in actu confessionis. nam de hoc nulla esse potest difficultas: cùm in tali actu pœnitens apertissimè videatur malè sentire de sacramento Pœnitentiæ. Sed controuersia est, An sit expediens reipublicæ Christianæ sancire legem, quæ decerneret, pœnitentes sollicitantes carnaliter confessarios, esse suspectos de hæresi, & contra illos esse procedendum, sicuti in alijs causis ad sanctum Inquisitionis officium pertinentibus. Etenim non omnia, quæ

fieri iustè possunt, quandoque expedit fieri: sicut forte contingit modò.

Huius dubitationis decisio hæc sit: Otiosum plane, minimèq. expediens est Reipublicæ Christianæ, sancire legem, qua statuatur pœnitentes sollicitantes confessarios ad turpia, esse habendos vti suspectos de hæresi, sicut habentur confessarij sollicitantes pœnitentes, post latam constitutionem fel. record. Pij Quarti.

Moueor ad id sentiendum multiplici ratione, quarum Prima est. Nam talis constitutio, seu lex, nulla via posset executioni mandari, cùm nec delictum reperiri, nec puniri possibile esset: siquidem ipse pœnitens sollicitans ad libidinem confessarium, nequaquam cogi posset, vt seipsum denunciaret, proprium peccatum Inquisitoribus manifestando; alias obligaretur pœnitens, vt se in rebus grauissimis proderet: quod est contra ius naturæ. Quemadmodum ob eandem rationem confessarius, quando pœnitentem sollicitat, non tenetur, neque cogitur ad deponendum contra se. Vnde tale crimen si ab aliquo deferri posset, maximè esset à confessario. Cùm autem confessarius id nulla ratione facere possit, nec debeat, ob immutabilem sigilli confessionis integritatem, neque lex humana posit eum cogere ad id reuelandum, vt ostendemus dubitatione sequenti; ideo talis lex, seu constitutio otiosa omnino esset, & numquam, moraliter loquendo, suum finem esset consequutura: ergo.

Et si dicas, quòd pœnitens non solùm in actuali confessione sacramentali, verùm etiam proximè ante, vel post, allicere potest confessarium ad turpia: vnde tunc sollicitatio circa actum confessionis, proxime ante, vel post, siuè in loco confessionis, scilicet confessionario exercita, non comprehenditur sub sigillo confessionis: atque adeò lex positiua poterit tunc cogere confessarium ad denunciandum Inquisitoribus pœnitentem, ita sollicitantem. Et consequenter lex lata otiosa non foret, sed posset optime consequi suum finem.

Contrà hoc est: quia in præsenti loquimur tantùm de pœnitentibus sollicitantibus in confessione sacramentali, quæ, vt dicemus, indi-

rectè pertinet ad ſigillum confeſſionis: & ita non poteſt cogi confeſſarius ad id denunciandum; ac propterea lex contra huiuſmodi ſollicitantes lata, otioſa, & inutilis eſſet. Cæterùm; ſi lex poſitiua eſſet lata contra pœnitentes ſollicitantes confeſſarios circa actum confeſſionis proximè antè, vel poſt, vel contra pœnitentes abutentes loco confeſſionis, ſcilicet confeſſionario: quia tunc confeſſarius cogi poſſet ad denunciandum, & ex conſequenti teneretur denunciare, eo quòd talis ſollicitatio non clauditur ſub ſigillo confeſſionis; ideo talis lex, quantum ad hoc, otioſa, aut inutilis non eſſet. Et hæc quidem dicuntur, attenta dumtaxat rerum ipſarum differentia. Nam ſi de expedienti loquamur; non videtur etiam expediens huiuſmodi lex. Tum quia, cùm iniuria ſacramenti ſit multum remota, nimirum per abuſum ſolius loci, vel temporis propinquitatem, nō videtur eſſe ſufficiens motiuum ad interpretandum, quòd in tali caſu non obliget confeſſarium lex correctionis fraternæ, & ordo ipſius peruerti debeat, præcipuè ſi ſine denunciatione, ipſius emendatio ſperari poſſit. Tum etiam, quia parare hanc viam confeſſarijs, poſset ex alia parte operari ad ſacramēti iniuriam, vt ſcilicet mulieres in ipſa confeſſione ſollicitatæ non audeant reſiſtere ex metu, ne confeſsarij illas accuſent, tamquam ſi in actu, vel loco ipſos ſollicitaſsent, & quòd per huiuſmodi ſibi timentes à confeſſionibus arceantur.

Et ſi iterum dicas: Lex lata contra confeſſarios ſollicitantes proximè antè vel poſt, fuit expediens: quia talis ſollicitatio eſt iniuria proximè facta ſacramento Pœnitentiæ: ergo ſimiliter pœnitens ſollicitans confeſſarium proximè antè, vel poſt, proximè facit iniuriam ſacramento.

Sed contra hoc eſt: quia, quòd confeſſio ſit ſacramentalis, vel non, pendet ex voluntate pœnitentis volentis, vel nolentis confiteri; non autem ex voluntate confeſſarij: & ita quòd ſollicitatio ſit ſacramentalis, vel non, pendet ex voluntate pœnitentis, non autem confeſſarij. Vnde confeſſarius ſollicitans proximè ante, vel poſt, quantum eſt ex ſe, ſemper facit iniuriam ſacramento; quia talis ſollicitatio, quantum eſt ex ſe, ſemper eſt ſacramentalis. Cæterùm

rùm ſollicitatio, qua pænitens allicit confeſſarium, ſi ipſe nolit confiteri, neque eſt ſacramentalis, & conſequenter neque iniuriam facit ſacramento Pœnitentiæ, niſi remotam. Si verò loquamur de abuſu loci confeſſionis, neque eſt eadem ratio motiua legis reſpectu confeſſarij, & pœnitentis; cùm propter rationem allatam, tum propter ea, quæ dicenda ſunt in ſolutione vltimi argumenti.

Secundò. Si talis lex, ſeu conſtitutio conderetur, nimis odioſum redderetur ſacramentum Pœnitentiæ, neque ita facile pœnitentes ad confitendum accederent; ſæpe enim dubitarent, ne confeſſarij ob aliquem alium finem, videlicet odij, vel inimicitiæ, eos Inquiſitoribus falſò denunciarent de crimine ſollicitationis in actu cõfeſſionis: & ſic ſaltem, non ita frequenter confiterentur. quod quidem euitandum omnino eſt, propter periculum tanti ſacramenti.

Tertiò probatur, & explicatur magis vis præcedentis rationis. Nam ſacramentum Pœnitentiæ de ſe ordinatum eſt in bonum particulare pœnitentis; vnde non licet vti notitia habita in eo, & reuelare alicuius confeſſionem, etiamſi inde ſequeretur maximum bonum commune, puta totius ciuitatis, vel etiam Eccleſiæ conſeruatio. Denunciatio autem facienda à confeſſario ſollicitato, ordinaretur in bonum commune, vt conſtat: atque adeo lex, quæ iuberet confeſſario, vt denunciaret ſe ſollicitantes, faceret ipſum vti eo, quod eſt ordinatum per ſe in bonum particulare, in ordine ad bonum commune, cum diſpendio particulari: hoc autem eſt iniuſtum, & peruertit diuinam legem. Ergo lex, quæ huiuſmodi præcipiat, nedum non erit expediens, ſed diuinæ legi repugnans. Cætera omnia conſtant: tantùm probanda eſt minor, ſcilicet, quòd ordinare in bonum commune cum damno particularis, id quid per ſe ordinatur in bonum particulare, ſit iniuſtum. Et probatur primò ex ratione iam facta: hæc enim eſt potiſſima ratio, quare non poteſt confeſſarius reuelare pœnitentis delictum, ex cuius reuelatione reſultaret bonum commune. Secundò à ſimili, in correctione fraterna, quæ ordinatur in bonum particulare; & ideo non poteſt quis, niſi iniuſtè procedere

cedere in illa, vt publicaret delictum in ordine ad bonum commune publicæ punitionis: qua ratione *S. Thomas 2.2.q.33.art.6.* sic dicit: *Alia verò est correctio fraterna, cuius finis est emendatio delinquentis non habens coactionem, sed simplicem admonitionem: & ideo vbi probabiliter æstimatur, quòd peccator admonitionem non recipiat, sed ad peiora labatur, est ab huiusmodi correctione desistendum; quia ea, quæ sunt ad finem, debent regulari secundum quod exigit ratio finis.* Propter quam rationem subdit idem Sanctus in solut. ad 3. *quod ea, quæ ordinantur ad finem, habent rationem boni ex ordine ad finem: & ideo correctio fraterna, quando est impeditiua finis, scilicet emendationis fratris, iam non habet rationem boni.* In proposito ergo, cùm confessionis sacramentum ordinatum sit de se in bonum particulare, non licet vti eo in bonum commune; nam hoc esset alterare ordinationem diuinam, & assumere vt medium in bonum commune, illud, quod Deus voluit ordinare in bonum particulare sine dependentia & relatione ad bonum commune.

Quartò probatur. Iuxta doctrinam *S. Gregorij lib.32. moral. cap. 18.* & refertur *capit. duo mala 13. dist.* ex duobus malis minus est eligendum: sed ex his duobus malis, nempe, quòd pęnitentes à confessione retardentur; vel quòd confessarios ad turpia in actu confessionis alliciant, minus malum apparet hoc, quàm illud: ergo magis hoc secundum erit eligendum, quàm primum.

Ad primum argumentum in contrarium initio allatum, nego consequentiam. Ad probationem similiter negatur consequentia. Et ratio disparitatis est: nam per legem latam contra confessarios sollicitantes pęnitentes ad turpia, prouidetur sufficienter iniuriæ, quæ per talem actum irrogatur sacramento, sine aliquo detrimento sacramenti. Cæterùm, si esset consimilis lex contra pęnitentes sollicitantes confessarios, non prouideretur iniuriæ factæ sacramento, absque detrimento exercitij eiusdem sacramenti, vt constat ex dictis. Secundò dici potest, quòd lex contra confessarios lata, optimè consequitur suum finem, quem non posset consequi lex, si esset lata contra pęnitentes.

Ad secundum bene ibi dictum est. Dicimus pręterea, quòd licet

actus

actus ſollicitationis ſacramentalis, quo pęnitens confeſſarium allicit ad turpia, ſit maximè iniurioſus ſacramento Pęnitentiæ; non tamen propterea bene infertur, quòd ſi fuit expediens ſancire legem contra confeſſarios ſollicitantes, eſſet etiam expediens eandem ſancire contra pęnitentes, ob rationes iam adductas.

Ad tertium negatur conſequentia. Nam ratio, ob quam non expedit talem legem ſancire, non eſt illa, quæ tangitur in argumento, ſed ſunt aliæ iam adductæ.

Ad quartum iam ſatis conſtat ex dictis.

Ad quintum dicendum, quòd etſi concederemus, pœnitentes ſollicitantes maiorem iniuriam irrogare ſacramento Pęnitentię, quàm confeſſarios ſollicitantes: nihilominus ex hoc non liceret inferre, quòd ſicut expediens fuit lex contra confeſſarios; ita expediret illam ferre contra pęnitentes, propter rationes prædictas.

Verùm circa hanc comparationem aduertendum eſt, quòd non videtur admittendum (ſi res attentè conſideretur) quòd pęnitens ſollicitans confeſſarium faciat maiorem iniuriam ſacramento, quàm confeſſarius ſollicitans pęnitentem: imò contrarium iudicandum eſt. Quia ſollicitatio confeſſarij reſpectu pęnitentis, per ſe loquendo, eſt ſemper contra ſacramentum exiſtens inchoatiuè, ſaltem ex parte pęnitentis, qui ex parte ſua inchoat confeſſionem ſacramentalem. At vero ſollicitatio pęnitentis reſpectu cõfeſſarij, non eſt per ſe contra ſacramentum exiſtens; cùm nihil ſacramentale eſſe poſſit in confeſſione, niſi per voluntatem pęnitentis: Siquidem abſolutio non eſt ſacramentalis, niſi ſuppoſita confeſſione; quæ vtrum ſit ſacramentalis, an non, ex pęnitentis voluntate pendet volentis confiteri, vel non; atque adeò poteſt fingere ſe confiteri, vt ſollicitet, cũ intentione non confitendi: & tunc nihil ibi erit ſacramentale exiſtens, & fit iniuria ſacramento nõ exiſtenti. quod etſi graue eſt, minus tamen graue, quàm iniuriam facere ſacramento iam inchoato: vt patet à ſimili in impedientibus generationem hominis ante animationem, vel poſt, quando iam inchoatus, etſi nondum perfectus eſt.

Quòd ſi pęnitens non ſolum confiteri ſe ſimulet, ſed re vera confiteri

teri velit ſacramentaliter: (quod tamen poſſet contingere, illo ſic magis volente occultare ſuum delictum, & illud inuoluere confeſſionis ſigillo) adhuc doctrina propoſita verum habet: quia licèt pro vtraque parte ſit ſacramentum exiſtens inchoatiuè, tamen maius delictum eſt, in illo interponere ſollicitationem ex parte confeſſarij, quàm pęnitentis. Et ratio eſt: quia per ſe hoc ſacramentum eſt ordinatum per modum iudicij, in bonum pęnitentis, non in bonum confeſſarij, vt conſtat. vnde, cùm ex ſollicitatione ex parte confeſſarij peruertatur iudicium in damnum pęnitentis, hoc eſt per ſe contra ſacramenti finem. At verò, quando pęnitens ſollicitat confeſſarium, damnum directè tangit illum, ad quem per ſe non ordinatur ſacramentum; ipſe tantum pęnitens ex ſua malitia perdit ſuum bonum, quatenus non ſinit perfici iudicium, vt abſoluatur. Et eſt ſimile in iudicio criminali, & forenſi. Nam per ſe maiorem iniuriam publicæ iuſtitiæ facit Iudex, qui abutitur authoritate, vt innocentem damnet, quàm ipſe innocens, ſi iudicio inſtante reum ſe faciat, & nocentem.

Hæc dicta ſunt circa dubium propoſitum, conſulendo ſanctitati ipſius ſacramenti, & bono pęnitentium, ad quod ex Chriſti Domini inſtitutione ordinatum eſt.

Sed quia huiuſmodi abuſus frequentiùs fortè graſſatur, quàm pij homines credant, quia nimirum adeo occultus ac ſecretus eſt, ob ſigilli inuiolabilē obſeruantiam, vt ad corū notitiam, aureſq. peruenire non poſſit: idcirco opportunū omnino remedium i[illegible] eſt, quatenus ipſum ſacramentum cum ſigillo, & ſecreto ſuo permittit. Si liceret arbitrari, ſubmittendo meum ſenſum in omnibus, ac ſingulis, quæ ex meo ſenſu dixero, Beatititudini veſtræ: Expedire ſummopere iudicarem, vt ferretur cenſura excōmunicationis latæ ſententiæ, ſedi Apoſtolicæ, vel Inquiſitoribus reſeruata, contra huiuſmodi ſollicitantes; quæ etiam ad maiorem terrorem, Bullæ Cœnæ Domini inſeri poſſet. Et ſic delictum grauiſsimum ſubiaceret debitis pęnis, per Veſtram Beatitudinem, aut S. Inquiſitionis Tribunal in foro pęnitentiali deputandis; & conſultum foret ſanctitati, & reuerentiæ ſacramenti; & veroſimiliter ſperari

tari posset multorum emendatio: maxime si, quoad personas capaces, adderentur praeterea poenae aliae inhabilitatum, irregularitatum, & aliae huiusmodi, non nisi per sedem Apostolicam relaxandae. Imò posset ferri sententia, vt qui sic delinquerent, quamtumuis postea absolui à culpa contingeret, numquam essent, vel ad tempus, capaces Indulgentiarum, siue in vita, siue in morte, nisi ex speciali concessione Romani Pontificis, per forum pęnitentiale impetranda. Quod certè quammaximè fideles à tanto facinore deterreret.



QVAESITVM II.

De possibilitate denunciandi Inquisitoribus poenitentes sollicitantes ad turpia confessarios in actu Confessionis.

Quaeritur, *Vtrum si daretur lex, seu constitutio Pontificia, lata contra poenitentes sollicitantes confessarios ad libidinem in actu Confessionis, vti contra suspectos vehementer de haeresi; posset Confessarius cogi ad denunciandum Inquisitoribus poenitentem, de crimine sollicitationis.*



ARS affirmatiua suadetur Primò. Lex Pontificia obligat confessarium, quando non currit obligatio sigilli confessionis: nam vbi obligat sigillum confessionis, lex humana positiua non obligat: cùm enim sigillum confessionis sit de iure diuino, praeferendum est legi humanae. Sed in casu, quo poenitens confessariū sollicitat ad turpia in sacramentali confessione, non currit obligatio sigilli confessionis: ergo si extaret lex Pontificia contra pęnitentes

tentes sollicitātes confessarios in sacramentali confessione, confessarius non solum cogi posset ad denunciandum; verùm etiam teneretur illum Inquisitoribus denunciare. Maior cum consequentia sunt notæ. Minor verò probatur. Ea cadunt sub sigillo confessionis, eiusque obligatione, quæ confessarius tantum scit, vt Deus, & non vt homo, vt docet expresse *S. Thom. in 4. dist. 25. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 1. & 2.* & *in additionibus ad 3. p. q. 11. art. 1. & 2.* Sed actum sollicitationis, quo pœnitens ad turpia allicit confessarium in sacramentali confessione, confessarius scit vt homo, non vt Deus; quia vt Deus, tantum scit ea, de quibus pœnitens se accusat: ergo in casu, quo pœnitens confessarium sollicitat ad turpia in sacramentali confessione, non tenet obligatio sigilli confessionis.

Secundò præterea. Id quod non est materia sacramentalis confessionis, potest confessarius reuelare: quia confessarius sub sigillo confessionis, tantum tenetur cælare id quod est materia confessionis. Sed actus sollicitationis ad turpia, quo pœnitens confessarium allicere conatur, non est materia sacramentalis confessionis. Probatur: nam talis sollicitatio est peccatum mortale, de quo pœnitens non solum non se accusat, sed malitiose tunc illud committit. Ergo nullo modo esse potest materia illius confessionis sacramentalis: quia materia confessionis sacramentalis, solum sunt peccata, de quibus pœnitens se accusat: ergo Confessarius, lege positiua, cogi posset ad id Inquisitoribus denunciandum.

Tertiò præterea. Quotiescumque pœnitens accedit ad confessionem, animo minime se accusandi, sed potius peruertendi, & alliciendi confessarium ad libidinem, talis confessio, tantum abest quòd sit sacramentalis, quin potius est impia Dæmonis inuentio, & sacrilegus confessionis sacramentalis abusus, vt tenet *Abb. in cap. omnes de pœnit. & remiss.* quem refert, & tenet *Angel. confessio vltim. num. 7. Innoc. Monald. & Raym.* quos refert, & sequitur *Siluester confessio 3. num. 2.* Sed Confessarius solum tenetur sub sigillo confessionis cælare ea, quæ in vera confessione sacramentali audiuit: ergo non tenetur cælare pœnitentem sollicitantem. Atque ita, si

 extaret

extaret lex positiua contra pœnitentes sollicitantes, posset cogi confessarius ad id denunciandum Inquisitoribus.

Quartò præterea, & confirmatur magis præcedens ratio. Nam, vt refert *Soto in 4. dist. 18. q. 4. art. 5.* Aliquando Romæ contigit, vt quidam Cardinalis conspirationem moliens in Summum Pontificem, confiteretur alteri Cardinali, ea intentione, vt illum in suam coniurationem traheret. Re enim per aliam viam comperta, Cardinalis ille, qui confessionem audiuit, accusatus est, ac mulctatus, eo quòd rem non detegisset. Quo facto Summus Pontifex significauit rem detegi potuisse, in tali alioque simili casu. Ergo quotiescumque pœnitens confitetur, animo peruertendi confessarium, & inducendi illum ad peccandum, vt v.g. ad peccatum luxuriæ, proditionis, furti, conspirationis, homicidij &c. potest confessarius manifestare sollicitantē illi, cui ex officio incumbit, vt contra ipsum procedat; & consequenter in nostro casu, optimè poterit Cōfessarius cogi ad denunciandū Inquisitoribus sollicitantē.

Quintò præterea. Quæ sciuntur sub sigillo confessionis, extra confessionem sacramentalem, si sint in alterius damnum, tenetur vnusquisque reuelare, & consequenter potest cogi ad reuelandum; eo quòd tale sigillum confessionis, non magis obligat, quam iuramentum de tenendo secretum: ergo similiter, quæ sciuntur sub sigillo confessionis in confessione sacramentali, si sint in damnum reipublicæ Christianæ, cuiusmodi est sollicitatio sacramentalis ad turpia, quæ vergit in maximum damnum boni spiritualis, & summam iniuriam sacramenti Pœnitentiæ; poterit confessarius cogi ad id denunciandum Inquisitoribus. Antecedens communiter admittitur à Doctoribus. Consequentia verò patet: quia in vtroque casu interuenit sigillum confessionis: ergo vel in vtroque casu obligat ad non reuelandum, vel in neutro.

Sextò præterea. Confessarius tenetur cælare peccata, quæ in confessione sacramentali audiuit, tantùm ex præcepto Ecclesiæ, & non iure diuino: ergo lege pontificia oppositum præcipiente non solum potest, verum etiam tenetur sacerdos reuelare peccata. Consequentia patet: quia illud, ad quod quis obligatur ex præcepto Eccle-

Ecclesiæ tantum, non est necesse obseruari mandato Ecclesiæ in contrarium facto. Antecedens verò probatur. In sacramentis nouæ legis, quæ sunt de iure diuino, sunt expressa in eorum institutione. Nam quæ sunt de iure diuino in sacramento (verbi gratia) Eucharistiæ, ex institutione eiusdem sacramenti manifeste habentur, verbi gratia, materia, & forma; sicut etiam in sacramento Baptismatis, &c. Sed in institutione sacramenti Pœnitentiæ nulla fit mentio de sigillo confessionis: ergo sigillum confessionis non pertinet de iure diuino ad hoc sacramentum.

Ad euidentem resolutionem huius difficultatis præmittendum est, iuxta communem omnium Doctorum Theologorum, & Canonistarum sententiam, præcipuè Doctissimi Magistri *Soto in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 5. conclus. 1.* sigillum confessionis, de iure diuino, tam supernaturali, quàm naturali, ac etiam de iure positiuo, esse seruandum à Confessario, qui adeò debet esse secretus, vt quocumque præcepto ei facto, etiam à Papa, v. g. modo S. D. N. Gregorio Decimoquinto, non debeat manifestare, quæ in sacramentali confessione audiuit, vt habet *S. Th. in 4. d. 21. art. 1. quæstiunc. 1. ad 2.* quia quantum ad hoc, confessarius nulli, nisi Deo, subijcitur. Et ita vbi obligat sigillum confessionis, non obligat lex humana: sigillum enim confessionis est de iure diuino, & ideo legi humanæ præferendum est: quare tunc seruanda est lex humana, & positiua, quando non currit obligatio sigilli confessionis. Quo fit, vt nullus Iudex, seù Superior, cogere possit confessarium lege aliqua humana ad ea manifestanda, quæ in confessione sacramentali audiuit. Vnde si aliquis, v. g. Iudex, sub pœna excommunicationis obligaret confessarium ad reuelandam confessionem sacramentalem, non solum non teneretur obedire, sed etiam sub iuramento requisitus, dicere posset se nescire absolutè: quia re vera id nescit vt homo, cùm peccata illa sciat vt Deus, cuius vices gerit in confessione, vt expresse docet *ibidem S. Thomas ad 3*. Imò, vt asserit *Petrus de Ledesma in summ. tract. de pœnit. cap. 22.* talis Iudex, vti suspectus de hæresi, denunciandus esset in sancto Inquisitionis Tribunali: ait enim: *Secundò sequitur, quòd si Papa, aut quicun-*

que alius iudex adhibitis praeceptis, ac censuris grauissimis seuerè mandet, vt secretum aliquod, quodcunque illud fuerit, reueletur, nullo modo intelligendum id est de secreto confessionis sacramentalis: quia nullus in eo dispensare potest. Et si iudex aliquis pœna excommunicationis in particulari praecipiat alicui vt ei reuelet, ac detegat secretum confessionis; illi nullo modo obediendum est. Imò verò huiusmodi Iudex sancto Inquisitionis Tribunali, tamquam de fide suspectus, denunciandus esset. Ex quo sequitur, quòd frangens sigillum confessionis, mortaliter peccat contra legem diuinam & humanam. Quod quidem peccatum, non solum committit Sacerdos, sed quicunque alius, qui detegit aliquod peccatum, quod iustè, aut iniustè in confessione sacramentali sciuit, quamuis sit veniale, absque facultate, iusta de causa, à pœnitente facta: vnde tam interpres, v. g. confitentis, lingua confessario ignota, quàm laicus, cui aliquis in extrema necessitate confitetur, quàm etiam qui se confessarium finxit, omnes tenentur sigillum confessionis seruare: & si non faciunt, non solum in culpam lethalem incurrunt, verum etiam grauissimis pœnis puniendi sunt: Sacerdotes quidem iuxtà pœnas sacrorum Canonum, vt habetur *capit. Sacerdos de pœnit. dist. 6.* & *cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* Seculares vero pœnis arbitrarijs, vt docet *Summa Armilla verbo, Confessor. num. 13.*

Secundò praemittendum est id quod docet *S. Thom. in additionibus ad 3. p. quaest. 11. art. 2.* nimirum, quòd directè sub sigillo confessionis cadunt peccata, de quibus est sacramentalis confessio: indirectè autem cadunt illa, de quibus non est sacramentalis confessio, per ea tamen potest peccator, vel peccatum deprehendi: ita enim ait S. Thomas: *Respondeo dicendum, quòd sigillum confessionis directè non se extendit nisi ad illa, de quibus est sacramentalis confessio; sed indirectè, id quod non cadit sub sacramentali confessione, etiam ad sigillum confessionis pertinet, sicut illa, per quae posset peccator, vel peccatum deprehendi. Nihilominus tamen, alia summo studio sunt calanda, tum propter scandalum, tum propter pronitatem, quae ex consuetudine accidere posset*: haec S. Thomas. Cùm ergo Confessarius teneatur, non solum caelare ea, ad quae directè se extendit sigillum confes-

ſionis; ſed etiam ea, quæ indirectè cadunt ſub illo; adeo vt ſi oppoſitum faciat, eaſdem canonicas pœnas incurrat, vt expreſſe habet *P. Ledeſma loco ſupra allegato concluſ. 6.* hinc fit, quod confeſſarius, ſub ſigillo confeſsionis tenetur cælare etiam ea, quæ non concernunt, ſeu cadunt ſub ſacramentali confeſsione. Vnde quamtumuis confeſſarius audiat aliquid à pœnitente, quod non pertineat ad ſacramentalem confeſsionem, & conſequenter quod non ſit materia confeſsionis, dummodo illud ſciat in ſacramentali confeſsione; nullo modo poteſt manifeſtare; & ſi reuelat, peccat contra ius diuinum & naturale, ac etiam contra ius poſitiuum, & pœnis per Canones ſtatutis puniendus eſt. His ergo præmiſsis,

Reſolutio præſentis dubij hæc eſt. Si daretur lex, ſeu conſtitutio Pontificia, lata contra pœnitentes ſollicitantes ad libidinem confeſſarios in actu confeſsionis ſacramentalis, non poſſet cogi confeſſarius ad denunciandum Inquiſitoribus pœnitentem de crimine hæreſis.

Probatur euidenter. Nam non poteſt cogi confeſſarius ad reuelandum ea, quæ ſub ſigillo confeſsionis continentur, ſiuè directe, ſiuè indirectè. Sed actus ſollicitationis ad turpia, quo pœnitens allicit confeſſarium in ſacramentali confeſſione, continetur ſub ſigillo confeſſionis: ergo Confeſſarius non poteſt lege humana cogi ad reuelandum talem actum, & denunciandum pœnitentem Inquiſitoribus. Conſequentia eſt euidens. Maior conſtat ſatis ex dictis in fundamentis. Minor verò, in qua eſt difficultas, probatur Primò. Si pœnitens; v. g. in ſacramentali confeſſione dicat ſe eſſe hæreticum, & velle in ſua hæreſi perſeuerare, ſeducere fideles, eoſquè à fide catholica auertere: huiuſmodi peccatum pertinet ad ſigillum confeſſionis, & tenetur confeſſarius ſub eiuſdem ſigilli obligatione cælare. Et tamen pœnitens non minus peccat mortaliter in illa ſacramentali confeſſione, imò magis, quàm ſi carnaliter confeſſarium ad turpia alliceret: quia animo deliberato aſſerere ſe velle fideles ſeducere, eoſque à fide auertere, eſt maius peccatum mortale, quàm ſit actus ſollicitationis ad turpia. Ergo

actus sollicitationis, quo pœnitens confessarium in sacramentali confessione ad turpia allicit; continetur sub sigillo confessionis, & tenetur sub eiusdem sigilli obligatione confessarius, talem sollicitationem cælare. Consequentia patet à paritate rationis. Minor constat. Maior verò est expressa sententia *S. Thomæ*, qui *in additionibus ad 3. part. quæst. 11. citata art. 1.* quærens *Vtrum in quolibet casu sacerdos teneatur cælare peccata, quæ sub sigillo confessionis nouit?* Primo loco obijcit sibi pro parte negatiua, huiusmodi argumentum. *Sicut dicit Bernardus, quod est institutum pro charitate, contra charitatem non militat: sed cælatio confessionis in aliquo casu contra charitatem militaret; sicut si aliquis in confessione scit aliquem hæreticum, quem non potest inducere ad hoc, quòd desistat à corruptione plebis; & similiter de illo, qui scit per confessionem, affinitatem esse inter aliquos, qui contrahere volunt: ergo talis debet confessionem reuelare.* Huic argumento sub his verbis respondet. *Ad primum ergo dicendum, quòd quidam dicunt, quòd sacerdos non tenetur seruare sub sigillo confessionis nisi peccata, de quibus pœnitens emendationem promittit; aliter potest ea dicere ei, qui potest prodesse, & non obesse. Sed hæc opinio videtur erronea, cùm sit contra veritatem sacramenti. Sicut enim baptismus est sacramentum, quamuis fictus accedat, neque est immutatum aliquid propter hoc, de essentialibus sacramenti: ita confessio non desinit esse sacramentalis, quamuis ille qui confitetur, emendationem non proponat, & ideo nihilominus sub occulto tenendum est. Nec tamen sigillum confessionis, contra charitatem militat: quia charitas non requirit, quòd apponatur remedium peccato quod nescit. Illud autem, quod sub confessione scitur, est quasi nescitum, cùm illud nescit vt homo, sed vt Deus. Tamen aliquod remedium adhibere debet in prædictis casibus, quantum potest, sine reuelatione confessionis, sicut monendo eos, qui confitentur, & alijs diligentiam apponendo, ne corrumpantur per hæresim. Potest etiam dicere Prælato, quòd diligentius vigilet super gregem suum, ita tamen quod non dicat aliquid, quod verbo, vel nutu confitentem prodat.* Hæc S. Thomas. In quibus verbis manifestè docet, quòd si confitens hæreticus, dicat confessario quòd ipse vult in sua hæresi perseuerare, & quòd suis hæreticalibus erroribus vult ple-

bem

bem corrumpere, Confessarius tenetur sub sigillo confessionis sacramentalis id cælare, quamuis non possit confitentẽ inducere vt desistat à tali peccato: asseritque, oppositũ asserere, esse erroneum.

Neque dicas S. Thomam solùm loqui in præfatis verbis de peccato mortali committendo, non autem de peccato commisso in actuali confessione sacramentali; cuiusmodi est actus sollicitationis; quo pœnitens Confessarium ad turpia sollicitat, atque adeo non videri eadem rationem de vtroque.

Nam contra hanc responsionem est. Quia dum confitens dicit Confessario; se habere voluntatem deliberatam perseuerandi in hæresi, & peruertendi populum fidelem, non solum emendationem non proponit, & dicit se commissurum peccatum mortale, sed etiam actu mortaliter peccat; quamuis non peccet nouum peccatum. Sicut v. g. si Petrus dicat se habere voluntatem deliberatam occidendi Franciscum, & dicat volo occidere Franciscum, actu mortaliter peccat, quia actus, quo vult occidere Franciscum, est peccatum mortale, sicut actus, quo per hæresim vult hæreticus corrumpere plebem, est peccatum mortale. Sed S. Thomas loquitur in casu, quo aliquis, non solum vult in hæresi perseuerare, sed etiam in casu, quo non potest confessarius illum inducere vt desistat à corruptione plebis; & consequenter necessariò præsupponitur, quod dum confessarius illum monet vt desistat, ipse dicat nolo, sed volo populum à fide catholica peruertere: quod quidem est actu mortaliter peccare. Ergo S. Thomas non solum loquitur de peccato mortali committendo, sed de peccato mortali, quod actu committitur.

Confirmatur, & magis explicatur prædicta ratio. In præfato casu, secundum doctrinam S. Thomæ allegatam, non potest confessarius reuelare peccatum, quod pœnitens in eius actuali confessione sacramentali committit. Sed in præfato casu peccatum, quod committitur, est maius quàm sit actus sollicitationis, quo pœnitens confessarium allicit ad turpia in sacramentali confessione: ergo nec tunc poterit Confessarius, huiusmodi actum sollicitationis carnalis reuelare.

Secundò probatur eadem minor principalis argumenti. Confessarius sub sigillo confessionis tenetur nihil dicere, quod verbo, vel nutu confitentem prodat, vt ex doctrina tradita *S. Thomæ* aperte constat, & habetur *de pœnitent. & remiss. capit. omnis*, vbi dicitur: *Caueat sacerdos, ne verbo, vel signo, vel quouis modo prodat aliquatenus peccatorem.* Sed si Confessarius pœnitentem sollicitantem ad turpia reuelaret, verbo, & facto illum proderet: ergo sub sigillo confessionis id tenetur cælare; & consequenter quamtumuis cogatur ad id manifestandum, non tenetur obedire, vt ex dictis supra euidenter colligitur.

Quòd si dicatur prædicta verba sancti Magistri, scilicet, *ita tamen quòd non dicat aliquid, quod verbo, vel nutu confitentem prodat*, intelligenda esse in his tantum, in quibus est confitens, & pœnitens: non autem in his in quibus nec se accusat, nec animum habet absolutionem recipiendi; sicut contingit in casu, quo pœnitens Confessarium carnaliter allicit.

Contra hanc explicationem est: nam *S. Thom. in prædicta solutione ad primum*, loquitur in casu, in quo pœnitens non est confitens: in illo enim casu, nec pœnitens se accusat, nec animum habet recipiendi absolutionem. & tamen S. Thomas expresse docet, quod ea, de quibus pœnitens non est confitens, nec se accusat, non potest confessarius reuelare: non enim potest manifestare, quòd pœnitens habet voluntatem determinatam contrahendi matrimonium inter affines absque dispensatione; de quo tamen peccato non se accusat. Ergo S. Thomas loquitur etiam de his, de quibus pœnitens non est confitens.

Tertiò probatur eadem minor principalis argumenti. Si aliqua ratione posset Confessarius cogi ad reuelandum pœnitentem sollicitantem ipsum ad turpia in sacramentali confessione, maximè esset, quia talis actus sollicitationis carnalis, cùm sit peccatum mortale, non est materia confessionis: sed hæc ratio est nulla: ergo. Consequentia est bona. Maior patet ex dictis à principio in secundo argumento. Minor probatur. Ea quæ indirectè pertinent ad sigillum confessionis, non cadunt sub sacramentali con-

fessione,

fessione, eo quòd non sunt materia confeſsionis; aliàs neceſſario ſpectarent ad confeſsionẽ ſacramentalem: & tamen tenetur Confeſſarius eà cælare ſub ſigillo confeſsionis: ergo etiam ſub ſigillo confeſsionis tenetur cælare id quod non eſt materia confeſsionis.

Nec obſtat ſi dicas, quòd ea quæ indirectè pertinent ad ſacramentalem confeſſionem, tenetur quidem confeſſarius ſub ſigillo confeſsionis cælare: hæc autem ſunt tantum ea per quæ poſſet peccator, vel peccatum deprehendi: aliàs ſi non ſint talia, non pertinent indirectè ad ſacramentalem confeſsionem.

Quoniam ſi Confeſſarius reuelaret pœnitentem ſollicitantem, poſſet tum peccator, tum eius peccatum deprehendi: ergo.

Quòd ſi iterum dicas, id intelligendum de peccato, de quo ſe accuſat, & de peccatore ſe accuſante, non autem de alijs. Contra: nam vt ex dictis conſtat id falſum eſt; vt patet in caſu de hæretico confitente, adducto à S. Thoma, in quo Confeſſarius non poteſt reuelare tale peccatum, etiamſi in illo peccator non ſe accuſet.

Nec tandem valet dicere, quòd talis confeſsio non eſt ſacramentalis, eo quòd pœnitens fictè accedit: Quia oppoſitum docet expreſſe *S. Thomas in præallegata ſolutione ad primum*.

Pro cuius maiori intelligentia conſiderandum eſt, quod caſus, in quo pęnitens fictè accedit ad ſacramentum Pęnitentiæ, poteſt dupliciter figurari. Primò, ita vt pęnitens re vera inchoet ſacramentum, (quod poteſt fieri etiam ab excommunicato, qui aliàs ab omnibus ſacramentis eſt excluſus,) & tunc deinde interponat ſollicitationem carnalęm: & hoc modo eſt ſacrilegium, contra ſacramentum exiſtens inchoatiuè. Secundò, ita vt pęnitens, re vera nolit inchoare ſacramentum Confeſsionis, ſed illud fingat, vt confeſſarium ſeducere poſſit: & tunc eſt etiam ſacrilegus contra ſacramentum, non quidem exiſtens, ſed quod per eius culpam non exiſtit. Sicuti in alijs ſacramentis quoque accidit: vt v. g. in baptiſmo, ſi quis cum propoſito peccati mortalis baptizari velit, fictè accedit: quæ tamen fictio non tollit ſubſtantiam ſacramenti, ſed tantum effectum ſacramenti, quæ eſt gratia. In quo ſenſu loquitur *S. Thomas*, quando inquit quòd *baptiſmus eſt ſacramentalis,*

quamuis

quamuis quis fictus accedat; neque est immutatum aliquid propter hoc de essentialibus sacramenti. Secus verò, quando baptizatur aliquis adultus, qui re vera nolit baptizari, & id fingat, vt Ecclesiam contemnat: in hoc enim casu nullum est sacramentum; est tamen sacrilegium, & sacramenti contemptus: sicuti in matrimonio, quando cum solemniter professa contrahitur; vbi interuenit sacrilegium contra sacramentum licèt non existens: quemamodum etiam in consecratione panis hordeacei, interuenit sacrilegium contra sacramentum Eucharistiæ non existens. Quando ergo S. Thomas ait, confessionem, in qua pœnitens confessarium carnaliter sollicitat, esse sacramentalem, intelligendus est in primo casu, non in secundo, in quo re vera pœnitens non vult confiteri; & ita tunc nulla est sacramentalis confessio. Quid autem dicendum sit in hoc casu, declarabitur in solutione ad tertium.

Quartò idem probatur. Quotiescunque ex reuelatione eorum, quæ in sacramentali confessione habentur, potest in pœnitentem redundare aliquod nocumentum, numquam licitum est ea reuelare: sed ex tali reuelatione Inquisitoribus facta, maximum nocumentum in pœnitentem sollicitantem redundaret: ergo non potest confessarius pœnitentem sollicitantem reuelare, illum denunciando Inquisitoribus. Consequentia est bona. Minor est nota. Maior probatur auctoritate Doctorum, qui illam communiter docent, præcipuè *Summa Armilla. verbo. Confessor. num. 9.* vbi ita dicitur. *Concludo ergo, quòd illa, per quæ peccator, vel peccatum potest manifestari per se, vel per accidens, directè, vel indirectè, & per quemcunque alium modum in aliquam cognitionem, suspicionem, vel opinionem potest veniri de confesso, vel in quantum potest sibi prouenire nocumentum circa animam, corpus, bona temporalia, vel famam aut huiusmodi, vel ex eo, quod confessio reddatur odiosa, vel minus pretiosa, sunt à confessore celanda:* ergo &c.

Quintò, id etiam probatur. Nam, vt inquit *Cardinalis Toletus in instruct. sacerd. lib. 3. cap. 16. num. 2.* defectus, qui ad famam pœnitentis pertinent, sunt sub sigillo confessionis: sed celare actum sollicitationis, maximè pertinet ad famam pœnitentis: ergo talis

actus sollicitationis cadit sub sigillo confessionis, & consequenter nulla ratione reuelari potest.

Sextò probatur efficacissima ratione. Modò de facto, quando nulla lex positiua extat contra pœnitentes sollicitantes confessarios ad turpia, certe manifestare pœnitentem ita sollicitantem, non solum ob damnum tertij, verùm etiam ob sacramenti irreuerentiam, esset peccatum mortale: ergo lex positiua superueniens, non potest ad id obligare confessarium: possunt enim leges positiuæ facere de non peccato peccatum prohibendo, facere verò de peccato bonum, non possunt imperando.

Ad primum ergo argumentum in contrarium nego minorem. Ad probationem similiter neganda est minor. Nam Confessarius vt Deus, non solum scit peccata, de quibus pœnitens se accusat; sed etiam scit alia, quæ non pertinent ad sacramentalem confessionem, licèt pertineant indirectè ad sigillum confessionis, vt expresse docet *S. Thomas*, qui *locis citatis*, tum in *4. sent.* tum etiam in *additionibus ad 3. partem, in artic. 2. quæstionis 11.* cùm in principio sibi obiecisset huiusmodi argumentum, scilicet, ***De confessione non sunt nisi peccata; sed aliquando cum peccatis alia multa quis narrat, quæ ad confessionem non pertinent: ergo cùm illa Sacerdoti dicantur vt Deo, videtur quòd etiam ad illa sigillum confessionis se extendat.*** Huic argumento non aliter respondet, quàm per hæc verba: ***Et per hoc patet responsio ad primum***, nimirum per ea, quæ dixerat in articulo, videlicet, ***quòd sigillum confessionis directè non se extendit, nisi ad illa, de quibus est sacramentalis confessio; sed indirectè id quod non cadit sub sacramentali confessione, etiam ad sigillum confessionis pertinet.*** In quibus verbis apertissimè significat, quòd ea, quæ Confessarius scit vt Deus, sunt omnia, quæ ad sigillum confessionis pertinent, siuè directè, siuè indirectè. Cùm autem, vt probatum est, actus sollicitationis ad turpia, indirectè pertineat ad sigillum confessionis, hinc est, quòd Confessarius illum scit vt Deus, & consequenter non potest cogi ab homine ad illum reuelandum, & ad denunciandum pœnitentem Inquisitoribus.

Ad secundum negatur maior. Nam, vt docet expresse S. Thomas, licet

licèt Confessarius directè teneatur cęlare id quod directè pertinet ad sigillum confessionis, & de quo est sacramentalis confessio, tamquam de materia confessionis: tamen etiam tenetur cælare id quod indirectè pertinet ad sigillum confessionis; quod tamen non est materia confesśionis, quia de eo non est sacramentalis confesśio.

Ad tertium dicendum, quod quemadmodum, vt docet S. Thomas, quando hæreticus accedit ad confesśionem animo peruertendi confessarium, & populum fidelem, non potest Confessarius id reuelare, sed sub occulto tenere debet; quia talis confesśio, est vera sacramentalis confesśio: ita dicendum est in nostro proposito, quòd quando pœnitens, v.g. mulier, confitetur animo peruertendi confessarium, & prouocandi illum ad libidinem, tunc confessarius id reuelare non potest, eo quòd talis confesśio est verè sacramentalis. Quare, quotiescunque pœnitens accedit ad confesśionem, animo confessarium peruertendi, (quod tamen aliàs nullo modo est notum confessario, cùm non posśit scire intentionem, & animum pœnitentis,) & inter confitendum, postquam de nonnullis peccatis se accusauit, incipit malitiosè tentare Confessarium, & prouocare eum ad libidinem; non potest confessarius eum reuelare, & denunciare Inquisitoribus. Si verò talis animus pœnitentis esset notus ipsi confessario, & ex modo procedendi, confessarius aduerteret pœnitentem non confiteri peccata animo accusandi se, sed ipsum peruertendi, alliciendique ad malum; talis confesśio non erit sacramentalis: quia pœnitens non habet intentionem confitendi, sed contrariam, quæ repugnat sacramentali confesśioni. Vnde potius, vt dicitur in argumento, talis confessio erit veræ confesśionis sacramentalis sacrilegus abusus; & ita, metaphysicè potiùs quàm theologicè loquendo, posset in huiusmodi casu confessarius pœnitentem denunciare: quia id quod scit, non scit in confessione sacramentali, neque vt Deus. Et in hoc sensu intelligendi sunt Doctores citati in argumento. Hanc doctrinam inter alios tradit *Pater Valerius Reginaldus in sua praxi fori pœnitentialis p. 1. lib. 3. cap. 5. num. 66.* qui

in hoc ſenſu adducit caſum propoſitum in argumento quarto. Idipſum habet *P. Enriquez lib. 6. cap. 21. §. 3.* vbi inquit: *Hic vnus caſus excipitur non cadere ſub ſigillo: quia verè non eſt confeſſio, ſi pœnitens ex artificioſa confeſſione deprehendatur accedere, non animo accuſandi ſe, ſed peruertendi confeſſarium, cui occultè argumenta proponit per modum tentationis. Hic hæreticus dogmatiſta denunciandus eſt.* Hoc ipſum etiam docet *Franciſcus Siluius tom. 2. 3. p. quæſt. 11. art. 1. quæſt. 1. circa fin.* vbi ſic ait. *Citatur à quibuſdam Innocentius III. quaſi voluerit reuelandum eſſe peccatum eius qui confitebatur, ſe, cùm non eſſet ſacerdos, celebrare, & deinceps celebraturum. Sed ex Concilio Lateranenſi per eum celebrato, vbi ſecretũ confeſſionis ſeuerè præcipit, ſatis apparet Innocentium eſſe conformem ſuperiori ſententiæ; vt proinde fidem certam non habeat prædicta hiſtoria, niſi fortè loquatur de illo, qui veniebat ad confeſſionem non animo ſe accuſandi coram Deo, ſed intentione pertrahendi ipſum in malum. Medina* item *in inſtit. Confeſſ. p. 2. c. 4.* hæc habet: *Aliud eſt, ſi pœnitens veniret fictus: vt ſi quis ad confitendum accedat, animo ſuadendi confeſſario aliquem errorem, aut quid ſimile; non voluntate confitendi. In tali caſu non tenetur confeſſarius ad ſeruandum ſecretum, imò vero ad detegendum id quod ipſe dicit; vt ſi v. g. huiuſmodi eſſet cum deſtructione Reipublicæ &c. quia iſta non eſt confeſſio, ſed malignitas.*

Cæterùm rem theologicè, & moraliter id conſiderando, negandum etiam videtur, tùm vt ait S. Th. propter ſcandalum, tũ etiam propter pronitatem, quæ ex conſuetudine accidere ſolet. Licèt enim hoc non eſſet, metaphyſicè loquendo, contra ſacramentum, ſed contra eius ſacrilegam imitationem, tamen redundaret in veri ſacramenti contemptum: retraherentur enim fideles ab vſu illius, nec ſecuros ſe eſſe arbitrarentur in veris confeſsionibus, etiam quoad alia peccata. Et certe, qui hanc legem ſtatueret, daret aditum confeſſario ſollicitanti, vt facile pœnitentem ad ſe traheret, timentem vtique, ne ſi detrectaret, confeſsarius verteret caſum, & confeſſarius illum denunciaret tamquam ſollicitantem; quæ omnia vergerent in maximam ſacramenti iniuriam; ſic enim venenũ poſſet inter ſalutares ſacramentorum aquas pœnitentibus

tentibus propinari. Vnde S. Leo Magnus in ſimili, loquens de pœnitentia publica, *Epiſt.* 80. *circa fin.* ſic ait: *Quamuis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorē, apud homines erubeſcere non veretur: tamen quia non omnium huiuſmodi ſunt peccata, vt ea, quæ pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare, remoueatur tamen improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remedijs arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis facta reſerari, quibus poſsint legum conſtitutione percelli. Sufficit enim illa confeſsio, quæ primum Deo offertur: tunc enim ſacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis.*

Ad quartum dicendum, quòd ſi hiſtoria relata vera eſt, ille Cardinalis confeſſor optime nouerat alium Cardinalem ſibi fuiſſe confeſſum, animo peruertendi; & eum trahendi in coniurationem; ideoque cùm poſſet, ac teneretur reuelare, & non fecerit, propterea fuit accuſatus, & punitus. In hac tamen difficultate legendus eſt *Dominicus Soto*, qui *in 4. diſt. 18. quæſt. 4. art. 5. ad 2.* multa ſcitu digna in confirmationem iſtius ſolutionis, & huius noſtri diſcurſus tradit.

Ad quintum negatur conſequentia. Ratio diſparitatis eſt, quam adducit *Caiet. 2. 2. q. 70. art. 1. in reſponſione ad 3.* vbi habet hæc verba. *Aduerte, vt ſcias diſcernere inter ea, quæ ſciuntur ſub ſacramentali confeſſionis ſigillo, ita quòd verè audiuit illius confeſſionem; & inter illa quæ ſciuntur ſub ſigillo confeſſionis non veræ, ſed ad imitationem, ſeù ſimilitudinem confeſſionis, vt frequenter fit à dicentibus aliquid in ſecreto, dico tibi hoc in confeſſione, ſeu in pœnitentia, ſeù inchoat, Confiteor Deo, & tibi; & tamen in nullo confitentur ſe peccaſſe, ſed communicant tantum quæ ſunt dicturi, & huiuſmodi. Hæc enim, ſi acceptatio, ſine qua nihil fit, interuenit, non magis obligant, quàm iuramentum de tenendo ſecretum. Et propterea tenetur ea reuelare, ſi ſint talia, quæ ſint in alterius damnum: prima autem, in nullo caſu reuelare licitum eſt, quia illa ſcit, vt Deus: & maius eſt vinculum ſacramenti, quolibet hominis, etiam Papæ, præcepto.* hæc Caietanus. In quibus verbis, manifeſtum diſcrimen adducit, quod conſiſtit in hoc: